

Doc. II.

1703. 10. JULII. VIENNAE.

Leopoldi Regis, Resolutio de omnibus, inter Colapim, Unam et Savum silis Confiniis, Regni Croatiae Jurisdictioni subjiciendis, et Generalatu Varasdinensi abolendo.

Leopoldus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus etc.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij & Nobiles, Fideles Nobis Dilecti, Caesarei Regijque Muneris Nostri Maiestas eam sibi antiquissimam semper esse voluit curam, ut quemadmodum omnium passim Nobis Divina favente Clementia Subsectorum Regnorum & Provinciarum, ita eorum praeprimis ampliacioni stabilique Felicitatis cursui Consilium omne omnemque Industriam impendere adniteremur, quorum grandiora erga Nos Augustissimamque Domum Nostram merita, sanctior fides, constantiorque Deuotio per gloriose summis Bellorum aequae ac Pacis momentis comprobata Facinora longe lateque commendantur.

Cum igitur tanta sint Fidelitatum Vestrarum ad notitiam totius fere orbis Christiani in Nos Augustissimamque Domum Nostram merita, eaque a saeculis propria Fidelitatibus Vestris sit Laus & Commendatio, quod Seruitij et Deuotionis Nostrae intuitu Patriam, fortunas, liberos, sanguinem & vitam, alias quidem semper, ultimis tamen vel maxime Belli Ottomannici motibus et disturbijs, dum propagandae & armorum & sceptrorum Nostrorum felicitati omnem quoque, ad Immortalem Nominis Vestri Gloriam, conatum & operam contribuistis, nec obstante, quod extremum saepe saepius excidium vel pati, vel pertimescere debuissetis, omnia tamen & singula, Vosque ipsosmet cuicunque discrimini malueritis exponere, quam ab auita, Vobisque ingenta virtute, fide constantique obsequio Nostro & Augustissimae Domus Nostrae degeneres abire.

Quare, ut perspectam Nobis totique Aulae Nostrae virtutem & fidem vestrarum fidelitatum (cujus spem futura etiam tempora nobis indubitata pollicentur) pro singulari illa & paterna, qua in Fidelitates vestras ferrimur propensione, Vobisque in omnibus omnino occurrentijs fauendi conatu, pro condigno recognosceremus, nec pateremur, propagatis Dei Gratia victricibus armorum nostrorum successibus, Patriae Vestrae limites constrictos ulterius permanere; verum in congruam tot pro Augustissimae Domus Nostrae incremento exantlatorum laborum, comparatorumque exinde meritorum, recompensam, non modo Districtus & Confinia, intra Vunnam, Colapim & Savum fluuios sita, Fidelitatum vestrarum opera viriliter & parva & conseruata, sed & Partes, ab antiquo ad Regni & Banalem Jurisdictionem appertinentes, Jure postliminij Regno & Banali Jurisdictioni reincorporaremus, earundemque unionem, Fidelitatibus vestris omnimode competentem, successivis in perpetuum temporibus continuandum clementissime ordinaremus.

Hinc, posteaquam inter Fidelitates vestras ab una, nec non Austriae interioris Dicasteria nostra ab altera Partibus, occasione Populi, inter Vunnam, Colapim & Savum fluuios inlocati, sic & ratione Jurisdictionis Territorialis, ac dependentiae Militaris, nec non translocationis & respective Cassationis Sclauonicorum & Petrinensium, seu Generalatus Varasdinensis sic dictorum Confiniorum, lis & controuersia suborta, & medio fidelis aequae Nobis Dilecti Francisci Chernkocz de Chernkoucz, Consiliarij & Colonelli nostri, qua fidelitatum vestrarum eadem in causa ad Aulam Nostram Ablegati, Maiestati Nostrae humillime repraesentata fuisset; exposit vero pro eiusdem causae complanatione, primo quidem certam Commissionem ad faciem Locorum (quatenus eadem inibi mediante oculari inspectione veram eorundem Confiniorum Situationem, nec non exacta inquisitione peragenda genuinam adactorum Grauuminum Seriem melius errueret) Clementissime delegassemus; deinde super eiusdem exmissae Commissionis humillime Nobis Suppeditata relatione, Caeterisque per eatenus cointeressata & Aulica & Prouincialia Dicasteria simul atque Status, videlicet Caesareo Regium Nostrum Consilium Aulo-Bellicum, nec non intimam Austriacam Cancellariam itidem nostram Aulicam, prout & Interioris Austriae alterius intimi & Bellici Consiliorum nostrorum Gremia, neque minus Fidelitates vestras & Styriae Status, pro et contra submissis & intro porrectis informationibus atque deductionibus, novam hic Viennae Commissionem Ministerialem Aulicam instituissemus.

Tandem ad ulterius, tam scripto quam oretenus in pleno factam ab hacce delegata Ministeriali Commissione omnium & singulorum, secundum acta & probata, causae huius punctorum, circumstantiarum et